DE

PARZIVALIS POEMATIS WOLFRAMI ESCHENBACENSIS

ALIQUOT LOCIS

SCRIPSIT

CAROLUS LUCAE.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.
MDCCCLIX.

Disputatio haec mea, qua nihil nisi pauca ad Wolframi interpretandum Parzivalem adferre in animo fuit, si in fabula de gradali quae dicitur scutella explicanda vel in quaestione versaretur de Kioto illo Gallico, quem Wolframus suarum rerum nuncupat auctorem, a viris doctis nuper non sine aliquo studio protracta, haud scio an gratior nonnullis futura esset. Sed pauca, quae verisimilia viderentur, fortasse verum etiam proxime attingerent, litteris mandare malui, quam coniecturis praesertim de Kioto factis adiungere alias. Carolus quidem Simrockius, laudabili ille antiquioris poesis Theotiscae tamquam patrimonii sui amore insignis, in eo libro, quo Wolframi Parzivalem et Titurelem Germanice a se redditos tertium edidit, de Kioto copiose disserens eum a Wolframo conicit plane fictum esse idque ideo ut quibus locis a Christiano Augustobonensi suo usus consilio discreparet auctorem quendam quamvis fictum iis qui audiunt proferret. Hae coniecturae Simrockianae tametsi poetam nostrum praestare videntur maiorem magisque suo ipsius ingenio innixum, tamen ii qui Wolframum colunt poetam, qui quidem iidem veritatis amantes sunt, facere non poterunt quin istos ei honores abrogent, ipsius de Kioto dictis etiamnunc fide habita.

Simrockius enim minime probavit sententiam suam nec potuit facile probare eam, quae feratur de causa quae maximis difficultatibus obsepta maximeque obscura sit. Lux autem integra huic rei non prius, opinor, adfundi poterit, quam viri docti, qualis Hoffmannus Fallerslebensis extat, ad occultos libros reperiendos nati atque instructi, poema illud Kiotianum ex tenebris protraxerint. Quamquam vero haec ita sunt, nonnulli tamen haud dubie reperientur, quibus ea quae Simrockius de Kioto iudicavit probabilia esse videantur: id quod fieri posse maxime existimo propterea quod Alfredus Rochatius in primo fasciculo annalium, quos nomine Germaniae Franciscus Pfeifferus tertium edidit, Bernensem librum quo Christiani continentur Contes del Graal in hanc ipsam sententiam Simrockianam perlustravit et poema illud Gallicum cum Wolframi Parzivale aliquatenus conparavit.

Rochatius enim illi adsensus Kioti nomen fabulam esse, Christianum Augustobonensem Wolframi esse re vera auctorem arbitratur, quamquam poeta noster Kiotum vere narravisse fabulasque recte tractatas sibi suppeditasse profitetur ipse his verbis, quod video, satis perspicuis (Parz. cap. 827, vv. 3 et 4.) *Kyôt, der uns diu rehten mære enbôt.* Neque ego existimo fore quemquam, qui in Rochatii illa disputatione, qua multi Gallici poematis versus cum Theotisci versibus contenduntur ac verba Theotisca iuxta Gallica posita lectori accurate in hanc quaestionem inquirenti commode praebentur, similitudinem Wolframo cum Christiano non animadvertat saepe intercedere maximam. Eam vero similitudinem ad eos quoque versus, qui adhuc plane Theotisci ac Wolframiani habebantur, pertinere docemur illo loco, quo poeta noster Bavarus facetissimus populares suos collaudat propterea quod a Vallensibus stultitia superarentur. cf. Rochat. l. l. p. 82.

Christianus.

v. 236. sire, sachiez bien entresait,
que Gualois sont tuit par nature
plus fol que bestes en pasture.

Wolframus.

cap. 121, v. 7. sqq. ein prîs den wir Beier tragen
muoz ich von Wâleisen sagen:
die sint tœrscher denne Beiersch her,
unt doch bî manlîcher wer.

Sed quantumvis magna inter utrumque poetam similitudo frequenter adpareat nec cuiquam his versibus cognitis Christiani librum Wolframo utique notum fuisse non persuasum sit, tamen certum argumentum nullum adferri potest, quo Kiotianum illud poema numquam ac nusquam extitisse demonstretur.

Atque videtur Kiotus, si ullo tempore is fuerit poeta, cuius rationes Wolframus in fabula tractanda secutum se esse tam crebre conmemorat, poema suum de quo lis est condidisse prius [1]) quam poeta scripsit Augustobonensis. Quae res ex ipsis Wolframi verbis (Parz. cap. 827, v. 1 sqq.) si cui non satis luculenter perspiciatur, spero tamen fore ut conparatione instituta, quam diversa omnino ratione uterque poeta in enarrandis rebus egerit, aliquantum effici possit. Quid enim? Si probabile videtur, quod coniecturae probandae causa adfero, originem et naturam fabularum esse hanc ut, dum nascuntur, personae inducantur certae quibus nomina propria inponantur (quod negotium ingenio aetatum maxime respondet earum, quae simplices ac naturae propiores res humanas, quales fere ante oculos versantur, in fabulis reponant), nonne mirum est quod tot

---

1) Opinionem contrariam habet Wackernagelius Theotiscarum litterarum historiae p. 194.

apud Christianum personae nominibus tantum appellativis insignitae sunt [2]). Ex qua re, opinor, satis certe efficitur Christianum fabulae speciem expressisse minime accurate ac diligenter, Wolframum contra, Kioti imitatorem, qualem se ipse saepius indicat, cum apud hunc peculiaribus poematis personae nominentur nominibus, fabulae figuram narratione sua imitatum esse antiquiorem quam quae ad manum fuerit Christiano. Solet quidem Noster, ubi rerum decursu adductus novam introducit personam, verum quod eius nomen est reticere paulisper eamque tantum *ein fürste, ein ritter* vel similiter appellare, sed celat sic artificiose nomen proprium eoque consilio, quo attentius auscultent ii qui audiant, auscultantes vero persona postmodo suo loco pronuntiata magis delectentur.

Cum autem inter viros doctos adhuc sit controversia, num fabulae, quo tempore primum nascerentur, stricte iam circumscriptae fuerint et tempore demum procedente suam quaeque sinceritatem perdiderint argumentisque ita corruptis degeneraverint, an a tenebris quasi profectae in dies evaserint certiores clariores dilucidiores, tum id quoque diiudicari nondum poterit, num apud Wolframum magis solida quaedam et expressa fabulae effigies extet, an apud Christianum.

At quaecumque de Kioto Wolframi incerto auctore omnino sentiuntur, ea, ni fallor, ad has sententias redigi possunt. Aut enim Wolframum Christiani libro in rebus quidem minoris momenti usum, in universum tamen Kioti consilium (licet ipsius de Kioto passim dicta inter se repugnent) potius secutum esse atque ita vera dixisse existimaveris; quod si existimas, Kiotus manet, sed ma-

---

2) Cf. quae Lachmannus de hac re dixit Wolframi oper. praef. pag. XX.

nent etiam quibus est circumfusas tenebrae; aut et Parzivalis locos eos, qui non leguntur apud Christianum, et Kiotum et quod fecisse dicitur poema a Nostro plane ficta esse iudicaveris, atque ita Wolframum habebis astute mendacem, quo posito haud dubie multum abest ut hac in quaestione inpedita expedienda quicquam proficias. Utracumque igitur sententia tibi arriserit, utramque concedes laborare obscuritate, quae quaestionibus de Kioto hoc tempore institutis circumscribi tantum fortasse accuratius, tolli autem ne ex parte quidem aut removeri potest.

Mirum igitur videtur mihi quod quidam profecto nihil antiquius habendum esse ducunt quam ut hoc quaerant, utrum Gallicos poetas Wolframus presse imitatus sit, an sui ipsius ingenii fonte maxima ex parte condiderit Parzivalem, quodque huiusmodi coniecturis (de quibus diximus) in obscura quaeque, quae dissolvi non possunt, descendere malunt quam Wolframi poemati egregio ipsi penitus intellegendo, ut par est, operam navare. Unde dolendum est quod tanta sit etiamnunc ad recte percipiendum hunc poetam subsidiorum penuria.

Wolframi enim in opera scholia, qualia Lachmannus in prooemio editioni suae praefixo desiderat et magno usui fore existimat, hodieque desiderantur; Theotiscae medii aevi linguae, quam Iacobo Grimmio auctore *mittelhochdeutsch* dicimus, lexicon Beneckii opera incohatum, cum ab editoribus emittatur sectionibus ac nondum sit confectum, cum saepe frustra consulitur tum consulentibus hic illic dat falsa; Ziemannum autem nemo facile cum fructu aliquo adire poterit, nisi qui harum rerum gnarus iam extiterit. Optime meriti prae ceteris omnibus de Parzivale interpretando Carolus Lachmannus et Mauricius Hauptius sunt. Alter, quod cum opera Nostri critica atque omnino praeclara ratione recensuit quae extant omnia, poetae verbis, quod magnum est, accu-

rate distinctis, qua re sola interpretum ducem signiferum se praestitit Wolframianorum omnium, tum Parzivalis poematis exordium in iis libris, qui academiae Berolinensis auctoritate singulis annis eduntur, egregie explicavit; alter, quod de singulis obscurioribus Parzivalis locis dissertationes instituit praestantissimas, quae in actis societatis Saxonicae iamdiu publici iuris factae sunt amplificataeque nunc etiam undecimo in volumine ephemeridum quas ipse emittit possunt legi.

Praeter hos viros Pfeifferus, Schulzius (San Marte) et Rührmundus, illi in Pfeifferi ephemeridibus Germaniae nomine insignibus, hic cum in Hauptianis quas modo diximus, tum in gymnasii Postampiensis programmatis nonnullis de Parzivale disputans, studuerunt Wolframi amicorum utilitati. Atque laudandi sunt, ne consilio quid praetermisisse videar, Schulzius et Simrockius, quod in eo studio hanc viam iniverint ut Parzivalem poema saeculo XIII confectum in eum quo nunc utimur sermonem converterent eaque industria poema illud lecturos, qui doctrinae illius expertes essent, his litteris imbuerent.

Iam vero cum propius accedam ad id quod propositum est ut Parzivalis aliquot locos explicem, spero fore ut non inepte fecerim, quod sex prioribus poematis libris ab interpretatione mea exclusis a septimo demum hanc meam operam exordiri statuerim. Priores enim illos libros lectionibus, quae in universitatibus quae dicuntur litterariis de Parzivale habentur, enarrari solere harum rerum peritus nemo ignorat; quae quidem enarrationes etiam extra civitatem academicam interdum innotescunt neque eae, cum maximam partem ab hominibus proficiscantur doctissimis, aut quod amplificare aut quod emendare facile possis continent.

I.

Iam primum in his, quae poeta noster triginta versibus, qui quasi prooemium sunt Parzivalis libri septimi, exhibet, plurimi lectores primo adspectu, ni fallor, haerebunt. Nam Wolframus, cum a Godofredo Argentoratensi facundissimo atque litteratissimo poeta et animo et arte dissideat neque scribendi nec legendi artem didicerit, sententias suas ut hoc loco, ita fere ubique et omnino quam paucissimis efferre, enuntiata vero, quibus aliquid dictum confirmetur, saepius sine causalibus coniunctionibus orationi suae inserere, ellipses denique admittere paene iusto studiosius solet. Sed iuxta hoc brevitatis studium hic poeta, quem ubiubi quid dixit omnia memoria tenacissima tenere scimus, tam recte tam acute cogitationem instituit, ut dura eius elocutio sensim eo magis adametur quo sententiae gravissimae clarius intellegantur. Investigemus igitur Wolframi accurate cogitata accurate cogitando pro viribus persequentes, quaenam hoc Parzivalis loco his versibus ac verbis exprimere voluerit.

Cap. 338. Der nie gewarp nâch schanden,
ein wil zuo sînen handen
sol nu dise âventiure hân
der werde erkande Gâwân.
diu prüevet manegen âne haz
derneben oder für in baz
dan des mæres hêrren Parzivâl.
swer sînen friunt alle mâl
mit worten an daz hœhste jagt,
der ist prîses anderhalp verzagt.
im wære der liute volge guot,
swer dicke lop mit wârheit tuot.

wan, swaz er sprichet oder sprach,
diu rede belîbet âne dach.
wer sol sinnes wort behalten,
es enwelln die wîsen walten?
valsch lügelîch ein mære,
daz wæn ich baz noch wære
âne wirt ûf eime snê;
sô daz dem munde wurde wê,
derz ûz für wârheit breitet:
sô het in got bereitet
als guoter liute wünschen stêt,
den ir triwe zarbeite ergêt.
swem ist ze sölhen werken gâch
dà missewende hœret nâch,
pfliht werder lîp an den gewin,
daz muoz in lêren kranker sin.
er mîdetz ê, kan er sich schemn:
den site sol er ze vogte nemn.

Quos versus qui perlegunt, etiamsi quae vis singulis figuris aut vocibus subiecta sit non statim perspiciant, persuasum tamen sibi habebunt argumentum eorum cum Parzivalis fabula ac narratione non nisi laxo vinculo cohaerere.

Nam tota haec poematis pars, dum narratio ipsa paulisper interrumpitur, parabaseos instar praecepta quaedam continere videtur. Wolframo enim de optima quae sibi videatur ratione ad poema componendum epicum adhibenda vel de loco, qualis tribuendus sit a quolibet poeta personae poematis primariae prae personis secundas partes agentibus, haud scio an disputare hoc loco placuerit. Fortasse vero censebit quispiam poetam, cum in poemate suo, quo magis varium ac vividius fieret atque ita magis laudaretur, aliquid per digressionem intexturus esset, expressis verbis iisque versibus, qui supra adlati sunt, causam indicandam esse putavisse, cur

digressione facta Parzivale quasi de scaena paulisper remoto Gawanum celebraturus esset. Denique quae vera fuerit causa, cur Wolframus hos versus quodammodo didascalicos Parzivalis libro septimo ut prologum praefixerit, videbimus, si repetiverimus animo ea, quae in prioribus libris sex de Parzivalis vita ac factis narrata sunt. Itaque sententias quas illi libri continent primarias ordine iam proponere in animo est; qua in re conficienda toti huic disputationi usui futurum esse existimavi, si dissererem paullo copiosius quam ad prologum ipsum intellegendum necesse haberem.

Parzival iuventutem et adulescentiam (re quidem in universum spectata) transegerat haud infelicem; nam ab eo tempore, ex quo ut Arturum qui tabulae quae dicitur rotundae praeerat regem inveniret eiusque auctoritate in ordinem equestrem rite reciperetur matre in saltu deserto relicta patrium solum mutavit, usque ad eum diem, quo ab illo rege creatus est eques, amoris quidem tormentis dulcibus, sed aliis animi doloribus cruciabatur fere nullis. Morum tum vigentium inperitus sed integer vitae quae mater discessuro ad vitam recte agendam dederat praecepta primum tenebat tanta diligentia, ut stulti non dissimilem praesertim apud Orilusii coniugem se gereret. Stultitia[3]) eadem quasi occaecatum se praebebat, cum ne suspicans quidem scelus se admittere Itherium regem cum ipso expostulantem occideret occisum spoliaret armis.[4]) Quo facto, ut equitem decebat vestitus, animo probissimus sed moribus etiamnunc rudis iter pergens ad arcem postea defertur Gur-

---

3) Parz. cap. 161, v. 7. sît dô er sich paz versan,
ungerne het erz dô getân.

4) Parz. cap. 475, v. 5. genam ich ie den rèroup,
sô was ich an den witzen toup.

nemantii[5]), qui et consilio et re iuvabat adulescentem et tamquam pater amabat erudiebatque; etenim praecepta multa et varia ad res humanas spectantia iuveni nondum satis polito tradebat; nam de rationibus, quae principi cuique, qualis formosus Parzival videbatur Gurnemantio esse, ad regnum sapienter administrandum adhibendae essent, de via porro ea, quae adulescenti maxime ingredienda esset ut recte uteretur hominibus quibus praecipue rogitando molestiam ne crearet, de officiis denique, quae ordini suo eques, feminis vir praestare deberet, eum informabat. Praeterea de eo hac re meritus est quod armis eum bene uti atque arte[6]) pugnare docebat. Atque ita Parzival, postquam apud Gurnemantium per quattuordecim dies vita equestri excultus atque expolitus est, a praeceptore decedebat ut artes quibus institutus erat ad usum vitae conferret gloriamque, quam ardenter adpetebat, consequeretur. Virtutibus ita, quae equitis[7]) quidem erant, illo iuvante instructus erat. Ast si interrogas, sitne hoc modo plane vir factus et talis quidem ut Gurnemantii praecepta non ad verbum, quemadmodum materna secutus erat, etiamnunc sequatur, sed ut occasione oblata prudentius iis et in commodum suum uti possit? en tibi respondeo: minime vero! Dignum quidem se omnino deinceps praebebat Gurnemantii bona disciplina, cum virtute et frugalitate amorem reginae cuiusdam sibi conciliaret atque in matrimonium ductae regnum rebus bene gestis adipisceretur; at postquam, ut matrem videret neve vitae otio domesticae

---

5) Parz. cap. 162, v. 23. dem houbetman der wâren zuht.

6) Parz. cap. 175, v. 6. er wart ouch sît an strîte wîs.

7) Parz. cap. 179, v. 13. danuen schiet sus Parzivâl.
ritters site und ritters mâl
sîn lîp mit zühten fuorte.

iusto plus deditus a militia desuesceret, a regno suo ad tempus decessit et in itinere, nesciens[8]) quo se verteret, arcem intravit deviam, ubi gradalis custodiebatur et colebatur et se inspectante res tam mirae fiebant ut naturae maxime congruenter fecisset, si ex castellanis ubinam esset quaesivisset, — qualem tum se gerebat? Gerebat se, quod doleas, etiamnunc non ut virum, qui tirocinium absolvisset, sed ut discipulum magistri sui praecepta itidem, ut antea, pressius observantem, quae quidem res his versibus plane conspicua est.

Cap. 239, v. 8. wol gemarcte Parzivâl
die rîcheit unt daz wunder grôz:
durch zuht in vrâgens doch verdrôz.
er dâhte 'mir riet Gurnamanz
mit grôzen triwen âne schranz,
ich solte vil gevrâgen niht.
waz op mîn wesen hie geschiht
die mâze als dort pî im?
âne vrâge ich vernim
wiez dirre massenîe stêt.'

Quorum versuum tres priores indicare videntur, haud multum abfuisse quin Parzival Gurnemantii senis praecepta sibi data tamquam vir suo nitens iudicio neglegeret. Quod ita esse intellegemus, si Wolframi dicta pluribus vocibus exposuerimus. 'Attente', inquit poeta, 'Parzival hanc magnificentiam ac magnum specta-

8) Parz. cap. 250, v. 29. ez muoz unwizzende geschehen,
swer immer sol die burc gesehen.
cap. 286, v. 13. sît wir niht wizzen wâ diu (Munsalvæsche) stêt,
ze arbeit ez uns lîhte ergêt.
cap. 388, v. 30. sine kunden im ze keinem mâl
Niht gesagen wâ der (grâl) was,
wan sîn pflæge ein künec hiez Anfortas.

bat miraculum (quod omnes qui aderant ex gradali scutella cibaria quae quisque cupivisset accipiebant), sed hae res quid sibi vellent ex hospite suo exquirere sibi non concedebat prae timore, ne homo inurbanus haberetur.' Quae verba, quibus Wolframi dicta non nisi fusius reddita sunt, Parzivalis cupiditatem, opinor, rogandi satis significant. Nam cum non concederet sibi rogare, fieri non potuit quin cupiverit rogare. Rogasset igitur, nisi Gurnemantii praeceptorum atque urbanitatis (cui vocabulo eandem vim quam voci Theotiscae *zuht* inesse posuimus) legum tum recordatus esset. Quae eius cogitata tres subsequentes versus hoc modo exhibent. 'Gurnemantius cum magna sua atque incorrupta fide mihi suasit, ne rogitando homines obtunderem.' Minime autem persuasum ei est se recte agere, si Gurnemantii disciplinae obsecutus silentio utatur; a septimo enim versu silentium, ni fallor, quodammodo excusat, quasi dubitet, an silendo culpam committat. 'Quid, si in hac arce tamdiu morabor, quamdiu conmoratus sum apud Gurnemantium? quod si evenerit, castellanorum condicio omniaque, quae hic loci agi videbam, mihi silenti sponte clara fient.'

Quamquam igitur cupiditas rogandi conmota esse videbatur, repressa tamen est propter Gurnemantii consilium illud, cui Parzival, quem ex hac ipsa re etiamnunc nondum suo iudicio stare adparet, ex probitate sua et iuvenilis aetatis inscitia nimis anxie obtemperabat. Etenim Gurnemantius suaserat ei, ne frequenter interrogaret homines, non suaserat, ne umquam. Itaque Parzival, cum in illa arce interrogare neglexisset, sibi deerat adeo ut sibi gradalis regnum non conciliaret, quod, si interrogasset, adeptus esset. Hinc igitur illi quos Wolframus hic illic iam effudit questus, quod praesertim gladium illum mirabilem ab Anfortasio rege oblatum accepisset tacitus, tacitus etiam a rege cubitum discessisset.

Quibus quidem questibus indicari videtur Parzivalem in vitam acerbiorem mox descensurum esse. Quod factum iri etiam postea, cum Parzival ex gradalis arce deinceps discessisse narratus est, his verbis clarius pronuntiatur.

Cap. 248, v. 14. ob in nu kumber wecke,
des was er dâ vor niht gewent:
ern hete sich niht vil gesent.

Parzival inde profectus in silva, quae prope gradalis arcem erat, Sigunam cum Schianatulandro amato, quem mortuum condiverat, vitam aerumnosissimam degentem denuo invenit. A qua tunc edoctus est in Montesilvatico [9]) se fuisse, silentio autem, quo in Anfortasium vehementer aegrotum usus esset, gradalis regni sibi conciliandi opportunitatem perdidisse; quapropter Siguna animum eius durum, quo impeditus esset quominus regem illum interrogaret curaretque ita gravi morbo adfectum, acerbe incusat ac diris verbis exsecratur. Quo facto Parzival, summo oppressus dolore [10]), quod tam valde et sibi et illic defuisset, a Siguna, quae indignum eum haberet quocum amplius loqueretur, discessit. Tunc igitur cognovit hoc quidem, quantopere a fortuna derelictus esset, nondum autem illud, quid gradalis eiusque regnum atque arx sibi vellent. Sermone demum cum Trevrizente eremita de gradali et gradalis custodibus habito (qui sermo libro poematis nostri nono continetur) docetur Parzival scutellam mirabilem cibisque inexhaustis in-

---

9) Cf. Fr. Diezii: etymologisches wörterbuch der romanischen sprachen. Bonn 1853. p. 303. Sed apud Fr. Zarnckium (Benecke 2, 234 a) *Munsalvæsche* perperam est redditus 'mons salvationis'.

10) Parz. cap. 256, v. 1. daz er vrâgens was sô laz,
do'r bî dem trûregen wirte saz,
daz rou dô grœzlîche
den helt ellens rîche.

structam, quam antea viderat, cum deo divinaque gratia artissimo vinculo coniunctam esse custodesque eius sacris rebus curandis obligatos. Quae cum Siguna reticuisset, fieri non potuit quin Parzival ea relicta gradalis regnum ipsi praeclusum tamquam amissum bonum humanum doleret, divinam regni naturam intellegere nihil curaret. Ponebat quidem etiamtum Parzival spem magnam et fiduciam in deo, quem et qualem esse a matre accuratissime institutus erat quemque pie coluerat; quem deum nisi veneratus esset testem non invocasset, opinor, cum Orilusio coniugem eius de adulterio illi suspectam nequaquam secum adulterium commisisse adfirmabat.[11]) Attamen humanis rebus, ut quae accuratius interim ipsi cognitae essent, nihilo minus illo tempore atque etiam magis quam divinis delectari occuparique videbatur. Etenim in campo nivoso, in quo pernoctaverat, cum guttas tres illas sanguinis in nivem sparsas adspectans se totum dedidisset in meditationem adeo ut inscius cum equitibus duobus manus consereret, quos vicit, — quid tunc animo volvebat? Recordabatur quidem gradalis mirabilis illius, sed ad numen summum eum referendum esse etiamtum nondum suspicari poterat, quia id nondum audiverat. Tametsi autem in istas de gradali cogitationes defixus est, inprimis[12]) tamen coniugis roseis genis venustissimae et amoris eius recordatione, guttis illis conspectis, tenebatur. Erat igitur captus ac quasi obrutus feminae amore, quem apud ho-

---

11) Parz. cap. 269, v. 15. dirre worte sî mit werken pfant
mîn gelücke vor der hœhsten hant:
ich hânz dâ für, die treit got.

12) Parz. cap. 296, v. 5. sîne gedanke umben grâl
unt der küngîn glîchiu mâl,
iewederz was ein strengiu nôt:
an im wac für der minnen lôt.

mines et veteres et medio aevo degentes, quippe qui a natura propiores vitaque simpliciores essent, sensualem[13]) magis quam idealem, ut ita dicam, esse necesse fuit et consentaneum.

Sed redeamus ad Parzivalem, qui a Gawano inlustrissimo ex meditatione, in qua obrutus erat, suscitatus ad Arturum regem eiusque aulicos ducebatur, quibus precantibus ut propter virtutem suam atque animi magnitudinem pro merito honorandam in ordinem equestrem rite recipi ac tabulae rotundae sodalicio adscribi se pateretur lubentissime satisfecit; quam quidem tabulam convivalem tamquam symbolum fuisse vitae summa iucunditate insignis neque ab ulla re humana nisi a nefariis abhorrentis itaque eam a gradali severissimo diversissimam esse, non est quod moneam. Tum igitur Parzival honoribus, quibus apud homines illius temporis erant maiores nulli, augebatur.

Verum enimvero, cum mater eius Herzeloyda neptis esset Titurelis, qui primus gradalis regnum tenuerat, dei sublimi providentia ad alias quam in quibus vita equestris maxime versabatur res agendas natus erat destinatusque. Itaque, ut perpetuum vitae discrimen obiturus certamina miraculosa susciperet et sic temere in diem viveret deumque aeque atque Arturi equites ritibus tantum coleret ac caerimoniis, in fatis eius non erat. Etenim, si Arturo soli paruisset vitamque voluptatibus tantum variis ut coloribus distinctam degisset, ad gradalis imperium aliquando capessendum (id quod deus

---

13) Parz. cap. 291, v. 28. frou minne, iu solte werren
daz ir den lîp der gir verwent,
dar umbe sich diu sêle sent *).

*) cf. quae Beneckius adnotavit ad Iweini v. 71.

ipsi destinaverat [14])) parum recte se praeparasset; neque enim rebus externis studiisque terrestribus, qualia maximam partem apud Arturum agebantur, sed divinis potius rebus perspectis et iis cogitatis, quae ad naturam dei maxime et cognoscendam et colendam pertinerent, conformandus erat ad illud imperium.

Quapropter illo quidem ipso tempore, quo ut Arturi eques factus humanis rebus prorsus se dediturus videbatur, ut gradalis arcem denuo investigaret itaque ad partes suas agendas propius accederet multo severius admonendus erat acriusque, quam a Siguna in silvae solitudine factum erat, ad gradalem revocandus. Quod quidem officium Cundria saga, monstrum muliebre, cuius sermo propter id ipsum ad animos auditorum vehementius conmovendos egregie idoneus est, iusto paene taetrius exsequitur; maledictis enim, quibus graviora cogitari vix possunt, dum equites clarissimi testes adsunt, figebat Parzivalem, quod quo tempore in gradalis arce conmoraretur interrogare non curasset ac propterea tam stupidum tam inhonestum tam nefarium se praestitisset.

Parzival autem dignitate ita laesa ut honores nuper tributos, quippe quibus dignus iam non esset, sponte abiceret gradalis reperiendi consilio capto ab Arturo eiusque convivis hilaribus discessum parabat. Quantopere autem maledicta, quae gradalis nuntia effuderat, eius animum perturbaverint, magis etiam, opinor, intellegemus, si contemplati fuerimus, quonam modo Arturi equites salvere ac valere iusserit et quaenam cum iis tum Gawano dixerit. ‘Vir honestus cum eram’, ait, ‘vestrum me faciebatis; nunc quidem, cum probitate amissa

---

14) Parz. cap. 333, v. 27. schildes ambet umben grâl
wirt nu vil güebet sunder twâl
von im den Herzeloyde bar.
er was ouch ganerbe dar.

fieri non possit quin inprobus habear multisque vestrum invisus videar, consuetudo vestri qua indignum me ducam fugienda mihi est. Cum autem gradalis arce, id quod in consilio est, explorata honoribusque, quibus exutus sum, recuperatis huc redierim, denuo honorifice, quaeso, me excipiatis.' cf. cap. 330, v. 7. sqq. Quibus praecedunt gravissima haec dicta.

Cap. 330. sol ich durch mîner zuht gebot
hœren nu der werlte spot,
sô mac sîn râten niht sîn ganz:
mir riet der werde Gurnamanz
daż ich vrävellîche vrâge mite
und immer gein unfuoge strite.

Ex quibus emergit, quomodo Parzival de vita praeterita, inprimis autem de Gurnemantio eiusque praeceptis sentire coeperit; etenim tum demum Cundria intercedente propterea quod urbanitatis legibus a Gurnemantio sibi inpositis — quae in gradalis arce interrogaturo (id quod cognovimus) silentium tantum non imperare videbantur — diligentius obtemperavisset regiam potestatem paene iam sibi adsertam amisisse se et in dedecus incurrisse clare perspexit. Sola autem Cundriae maledicta, cum, etiamsi dignitate sua iis spoliatus non esset, infortunium, quod sibi parasset, liquido declararent fieri non poterat quin pro fructu obtemperantiae suae haberet acerbissimo. Dum vero (talia enim, opinor, tunc animo volutabat) prorsus non dubitat quin deus, cui a puero fidem habuerit, in quacumque re perficienda sibi opem laturus sit, dum amici senioris eiusque rerum peritissimi, qualem habuerat, auctoritatem consiliaque simpliciter sequitur, fortunarum secundarum dignitatisque iacturam fecerat. Itaque haud scio an peccavisse se putaverit eo tantum, quod iusto minorem posuisset fiduciam in semet ipso; quod ratiocinium, quo accuratius ab ipso inibatur, eo maiorem animi pertur-

bationem efficeret necesse erat. Nam cum Gawano vale diceret, dei desperatione plane adflictum et ad propositum ut gradalem reperiret exsequendum minime idoneum se ostendit.

Sed priusquam ea proponimus, quae profecturus Gawano fassus est, Gawanus quoque quid animo senserit considerare usui fore censemus. Quem Cundria ista profecta eques quidam ignotus sed splendidus (qui quidem cum Cundria propter id quod agit negotium quodammodo conparari potest), postquam Arturi castra sollemniter intravit, regis cuiusdam interfecti accusaverat, infamem fecerat, ad pugnam singularem die statuta provocaverat. Pro alio viro (quem Wolframus, ut solet, in posteriore demum poematis decursu (lib. 8 et 10) homicidam fuisse fratremque uxoris Gurzgrii, Gurnemantii filii tertii (cf. cap. 178, v. 15 sqq.) esse docet) pro alio, inquam, cum Gawanus se caedis illius factae insimulari intellexisset culpaque ea vacare pro certo habuisset, iniurias illas certaminisque indictionem aequo animo tulerat, Parzivali autem ut in itinere suscepto res eius deo iuvante cederent bene optaverat. At tum Parzival Gawano ideo quod dei iuvantis mentionem fecisset responsum dedit, quo descivisse se a deo aperte significat.

Cap. 332. wê waz ist got?
wær der gewaldec, sölhen spot
het er uns pêden niht gegebn,
kunde got mit kreften lebn.
ich was im diens undertân,
sît ich genâden mich versan.
nu wil i'm dienst widersagn:
hât er haz, den will ich tragn.

'Cave igitur', Gawanum monere pergit, 'ubi certamina inieris, amplius deo confidas, quasi adiuvare te posset; confide iis potius rebus, quae probatae tibi

sunt, praesertim, si quam feminam generosam in oculis geris et corde; eius amore virtus tua incensa ac firmata securum te praestet ab hostibus ut dei opera carere possis'. Cf. v. 9—14 et cap. 370, v. 18 et 19.

His verbis postquam Parzival, quem de deo prorsus desperasse inpiumque factum esse cognovimus, Gawanum valere iussit, equo vectus iter suscepit gradalem denuo ut reperiret. Cundriae igitur dicta Parzivalis animum dubitantem diversas in partes distraxerant. His enim dictis non solum inpulsus erat ut Arturi equitum societatem missam faceret atque ad gradalem adsequendum sese iterum accingeret (qua quidem ratione fato placuerat ut magis cum deo coniungeretur), sed etiam eo ductus erat ut acie mentis iam magis acuta in quas calamitates incidisset clarius intellegeret. Manifestum enim ei haud dubie erat tantis in malis propterea se esse quod inde a puero continenter cum dei tum hominum consilia iusto magis strictiusque secutus esset. Itaque eum errore captum et a deo, qui solus ad gradalis arcem eum reducere poterat, deficere et divina clementia neglecta suum ipsius animum animique adfectus (id quod patet ex iis, quae ipse Gawano dixerat, quae supra adlata sunt) colere atque sic constantiam quidem quandam, sed miserabilem eam et abiectam sibi conparare videmus. Parzivale profecto Gawanus quoque cum abitum parasset, ab Arturi aula ut illius alieni equitis provocationi satisfaceret discessit.

His rebus narratis liber sextus, paucis adhuc rebus levioris momenti adiectis, finitur. Triginta deinde illis versibus, qui supra transscripti sunt, ad septimum deducimur librum, quo sicut octavo prope nihil nisi ea quae Gawano in itinere accidebant, prolixe narrantur. Parzivalis in hac poematis parte obiter tantum fit mentio; plus enim bis mille octingentis versibus poeta noster de eo bis tantum conmemoravit. Altero enim loco

proelio sub urbe munita (Beârosche) commisso fortiter interfuisse, altero ex pugna singulari victor discessisse narratur. Quibus pugnis duabus confectis ab iis, quos vicerat, postulavit ut in ipsius commodum gradali quaerendo operam darent. cf. cap. 388, v. 29. 424, v. 22 et 23. Re vera igitur narratio per tot versus deducta in Gawani vita ac fatis versatur tota.

Ad Parzivalis, quem quamdiu inpius est e conspectu quasi amittimus, laudem canendam non prius poeta revertitur, quam illum non amplius iam, quin cum numine divino reconciliaretur, repugnaturum esse existimavit. Nono quidem in libro Parzival in scaenam denuo prodit, cum ad Trevrizentem mittitur nobilem eremitam, qui fidem eius ac gratiam erga deum tamdiu abiectam iterum revocat et firmat. Quod licet non hoc loco perspicuis verbis exprimatur, e loco poematis tamen posteriore intellegitur. cf. cap. 741, v. 26 sqq.

der getoufte (i. e. Parzival) wol getrûwet gote,
sît er von Trevrizende schiet,
der im sô herzenlîchen riet,
er solte helfe an den gern,
der in sorge freude kunde wern.

Wolframus igitur, cum quae per inpiae vitae intercapedinem egerit Parzival describere omitteret, id quod consulto videtur fecisse, Gawani potius laudem libro septimo atque octavo extollere instituit. Sed quamquam poeta narrationis totius decursu ipso satis probat, Parzivalis animum perturbatum melius describi non potuisse, quam si hic animus perturbationi suae totus deditus paulisper relinqueretur vel conmemoraretur tantum paucissimis, divinasse tamen videtur fore ut poematis lectores, aequales praesertim, ex quibus plurimos hoc poema audivisse tantum, legere non potuisse scimus, iniquo animo ferrent, si ab illo loco, a quo, tam gravibus praesertim poetae verbis praemissis, insequentem quo-

que Parzivalis vitam expositum iri sperandum erat, res ad Parzivalem narrarentur paene non pertinentes fabulaque tractari videretur paene nova. Quam reprehensionem ut reprimeret, triginta illos versus, quos prologum esse diximus, septimo libro, quo Gawanum paene solum celebrare, Parzivalem paucis tantum memorare apud animum constituerat, poeta videtur praefixisse. Quod si statuerimus, sequitur, ut fieri non possit quin causas contineat prologus, cur Parzival de scaena aliquamdiu removeatur ac tamquam dispareat. Cum vero poeta, verborum omnino parcissimus, audientium animos ad narrationem auscultandam quam maxime intendere soleat, non putandum erit illas causas positas esse in eiusmodi rebus, quae semel auditae animorum attentionem minuerent. Quod factum esset haud dubie, si in causis illis enarrandis res, quae posteriore demum loco poematis, quod nunc habemus, narrantur, praeceptae iam et prius declaratae essent. Videtur idcirco Wolframus in prologo non veram indicasse causam, cur Parzivalis in vita describenda pergere tum noluisset, sed rationes huius suae voluntatis susceptae attulisse tantummodo eas, quibus cognitis neque qui legerent neque qui audirent offendi possent, quod Parzivalis laus paulisper intermitteretur. Eae rationes quales sint et quam viam omnino hoc loco ingressus sit poeta, accuratius cognoscemus, si iam ad prologum ipsum explicandum accesserimus.

Quattuor, quibus exordium fit prologi, versibus Gawanum aliquamdiu celebratum iri simpliciter indicatur. *Der nie gewarp nâch schanden* 'qui numquam turpe quid fecit', *ein wîl zuo sînen handen sol nu dise âventiure hân* 'aliquamdiu persona huius fabulae erit primaria *der werde erkande Gâwân* 'Gawanus, quem virum esse praestantem omnes noverunt'. Tribus versibus subiunctis additur, hanc fabulam esse talem, qua praeter

Parzivalem alii quoque viri celebrentur. *Diu prüevet manegen âne haz* 'haec (sc. fabula) amat percensere multos ac depingere' *baz, dan des mæres hêrren Parzivâl* 'accuratius, quam Parzivalem, quod est re vera narrationis caput', *derneben oder für in* 'ita, ut illi iuxta Parzivalem aut eius loco describantur'. Quo exordio facto poeta fabulae sibi traditae argumentum, quod narrando se utique saepius confirmat servare, nunc quoque servat fabulamque ad digressionem inclinatam ab iis, quae proposita fuisse videbantur, reliquis prologi versibus excusat quodammodo, reapse se ipsum excusans et iure suo se hanc digressionem facere occulte significans.

Ea vero excusatio hoc modo instituta est, ut dividatur in tres partes vel quattuor, quarum in unaquaque ratio quaedam, quam sequi, maxime in persona celebranda fabulae primaria, poetis liceat, exponitur. Itaque illo loco recensentur poetae horum generum:

1) qui personam primariam numquam non collaudant.

2) qui, veritatis studio inpulsi, quae laudanda putant, laudant, sed crebro laudant.

3) qui omnino mentiuntur (indeque consulto adficiunt laude etiam ea, quae vituperanda esse sentiunt).

4) qui rebus vituperandis bona fide adstipulantur et temere.

Quo in recensu etiam quo quisque eventu id faciat, arbitrium additur hoc modo:

1) poeta, qui semper laudat, exspectare vix poterit, quod ab ipso perpetuo laudetur, id aliis quoque aeque probatum iri.

2) poetae, qui, quamquam se vera dicere conscius sibi est, frequenter laudat, fides non habetur, nisi adsint prudentes, ad conprobanda dicta propensi ac gratiosi.

3) poeta, qui mentitur, tali supplicio dignus est, quale qui honestatis studiosi sunt ei inprecantur.

4) poetam, qui vituperanda temere canat, hominem esse si non inprobum, at saltem insulsum.

His partibus prologi quattuor in universum descriptis, ad singulos iam versus ac verba interpretanda accedimus et ita quidem ut, quae quaque parte dicta sint, ex ordine explicemus.

Pars prima complectitur vv. 8—10. *swer sînen friunt alle mâl mit worten an daz hæhste jagt* 'si quis (sc. poeta, quod ex praecedentibus versibus intellegendum est) amicum suum (i. e. personam poematis primariam [15]) laudibus continenter ad caelum extollit', *der ist prîses anderhalp verzagt* 'is parum sperat fore ut alii amicum ipsius collaudent itidem' [16]).

Pars altera continet vv. 11—16. *im, swer dicke lop mit wârheit tuot* 'ei autem, qui cum veritate sed frequentius laudes alicuius celebrat', *wære der liute volge guot* 'hominum collaudatio [17]) apta esset ac grata'. *wan, swaz er sprichet oder sprach* 'at (i. e. hac enim deficiente), quidquid dicit vel dixit', *diu rede belîbet âne dach* 'oratio manet sine tecto'. Hac imagine quae sententia expressa sit ut eruamus, memoria nobis repetendae sunt voces technicae quae dicuntur eae, quibus Germanici poetae veteres in poematis conponendis utebantur; quas voces recensuit Iacobus Grimmius pag. 97

---

15) Parz. cap. 144, v. 4 ich wil *mînen friunt* mit spotte wern.

16) Hoc fere modo iam Beneckius in Wigaloisii editione sua (p. 574) versum explicavit.

17) Cf. I. Grimmii: deutsche rechtsalterthümer p. 864, ubi inter alios locos, ubi vox *volge* hoc significatu occurrit, etiam hic adfertur: 'sententia per approbationem et *collaudationem, communem*, quae *volga* dicitur, ab omnibus et singulis stabilita. Treisser weisthümer (a. 1340)'.

eius libri, quem primum edidit (Über den altdeutschen meistergesang. Göttingen 1811), ubi praeter alia etiam haec leguntur: 'viele redensarten z. b. sind vom bauen hergenommen, weisen aber weniger auf geraden einfluss, als gleichen grund mancher symbole und bräuche, die damals und früher unter handwerkern gegolten haben müssen. der gegenstand ist ein gebäude, ihn wohl dichten, heisst ihm ein dach zimmern, oder decken, gute rede ist des sinnes dach, bleibt etwas unbefriedigt, ungelöst, so ist es ohne dach; mit erz decken bedeutet: etwas vollkommen und sicher auflösen'. Quibus disputatis locos e poetis recenset Grimmius eos, in quibus talia vocabula translate usurpata inveniuntur; inter quos locos etiam illum Parzivalis versum refert. Ceterum cf. Beneckii: mittelhochd. wörterbuch tom. 1, pag. 293 b.

Itaque Iacobo Grimmio auctore duo illi versus (13 et 14) haud scio an ita explicandi sint. 'at, quaecumque loquitur, oratio eius, cum aedificio nondum tecto conparabilis, ut perfecta et absoluta habeatur fieri non poterit, quoniam quaedam secum pugnantia continere videbitur'. Sed priusquam ad reliqua transeamus, videtur opus esse, ut paucis moneatur de eo, quod in illis versibus (11—14), meo iudicio, ad intellegendum praecipue difficile fuerit; etenim videtur mihi difficilis intellectu potissimum coniunctio *wan* fuisse, in quo vocabulo notiones diversissimae insunt. Etenim praeterquam quod idem valet haec particula *wan*, quod pronomen indefinitum personae tertiae *man* [18]), atque etiam pro adverbiis pronominalibus *wanne* [19]), *wenne* 'quando' et *wannen* [20]) 'unde', syllaba elisa, substituitur, tres praeterea inter se diversas habet has potestates. Aut enim

---

18) cf. Ben. 3, 492 a. 19) Ben. 3, 502 a. 20) Ben. 3, 504 a.

vocabulum *wan*, ubi a voce *hwanta* profectum est, Latinis coniunctionibus causalibus respondet *nam*, *quod cet.*; aut, ubi ex vocibus *hwanta* et *ni* constat (quae conpositio paullatim decurtata est ita, ut tres tantum litterae *wan* restarent), Latine *quin?* vel *utinam!* reddi poterit; aut denique *wan* particula est, quae modo ad partem sententiarum, modo ad enuntiationes totas excipiendas limitandasque adhibetur, veluti *quamquam, nisi, excepto quod, sed.* Cf. de hac particula quae Lachmannus disseruit in Nibelungiadis adnotationibus, str. 442, v. 5. 852, v. 3. 1952, v. 4. Sed ex omnibus his potestatibus, quae particulae *wan* insunt, duas tantum loco Wolframiano aptas videri posse existimo. Etenim qui legerit hunc locum, cum primum adspexerit, aut suspicabitur verbis his *wan, swaz er sprichet oder sprach, diu rede belîbet âne dach* causam contineri earum sententiarum, quae versibus *im wære der liute volge guot, swer dicke lop mit wârheit tuot* expressae sunt, aut exceptionem seu oppositionem; aliud quid, ni fallor, vix adsumi poterit. Itaque si causam eorum, quae ante dicta sunt, particula *wan* indicari putamus, hi versus quattuor hunc fere sensum exhibebunt, orationi eius, qui eum veritate sed frequentius laudet, propter id ipsum quod sartum tectum non sit hominum collaudationem convenientem esse: quam interpretationem sensu carere quivis facile intellexerit. Itaque non inepte fecisse mihi videor, quod illam particulam non reddidi Latina particula qualis est *nam* vel *quod*, sed ea quae est *at* (pro qua etiam *quamquam* usurpari poterat), idque eo magis, quod versus 13 et 14 versibus 11 et 12 oppositi esse videntur.

Hoc enim significasse Wolframus videtur (ut rem fusius explicemus), qui personam primariam, vera se dicere sibi conscius, frequentius extollat, eum hominum

adsensu propter id ipsum dignum esse quod vera dicat. Idem vero Wolframus, quoniam laus frequentior quae sit plerumque cum veritate pugnare soleat, negat, eius poetae oratione totum quoddam confici tale, quod omnibus ut perfectum tectumque sartum probetur: ita ut tali poetae vix credibile sit fidem donatum iri. Quam explicationem versibus duobus subsequentibus confirmari verisimile erit. Hi autem versus tam diverse videntur explicari posse, ut primo obtutu, an ad explicationem illam confirmandam apti sint, non extra dubitationem positum sit. Navemus igitur operam, ut sententias, quae his duobus versibus contineantur, et recte intellegamus et, utrum prius dictis adiungendae sint necne, perpendamus. Vv. sunt 15 et 16. *wer sol sinnes wort behalten, es enwelln die wîsen walten?* Quibus hoc dici videtur 'quisnam ingeniose [21]) dictum, quod ab ipso dictum est, tuebitur, nisi sapientes adstipulari patrocinarique ei velint?' Potest quidem nudum verbum quod est *behalten* Latine etiam reddi *retinere* vel *conservare*, *salvum servare* vel *custodire* [22]); neque statim manifestum est, illud *ingeniose dictum* utrum intellegendum sit ab eo, quem Wolframus pronomine *wer* significavit, an ab alio quopiam dictum; attamen confirmare nostram primi versus verbo quod est *tueri* explicationem videtur sententia, quae secundo illorum versuum est subiecta. Verbo enim quod est *walten* cum soleat adiungi genetivus, *es* pronomen ex illo pendet. *Es* autem, cum genetivus singu-

---

21) Genetivo *sinnes* attributivam vim inesse existimavi, secutus Grimmium grammaticae vol. 4, p. 720 de talibus genetivis disputantem.

22) Cf. Ben. 1, 620ª. Ch. Glo. Haltaus, Glossarium germanicum medii aevi T. 1. 2. Lips. 1758. fol.º s. v. BEHALTEN. Pt. Dasypodius, Dictionarium Latinogermanicum, et vice versa Germanicolatinum s. vv. Custos, Conservare; Halten.

laris sit tam masculini [23]) quam neutrius generis, aut ad *wer* aut ad *wort* referri poterit; sed quia multo usitatius est ad neutrius generis vocabulum id pronomen referri, hic autem neutrius generis vocabulum adsit, nihil inpedit quominus ad *wort* referatur. Si autem verba *es enwelln die wîsen* [24]) *walten* explicanda sunt ita 'nisi sapientes ei dicto bene consulere vel eius patroni esse velint', sequitur, ut illud *dictum (wort)* non nisi a sapientibus muniri posse dicatur. Itaque primus versus sic fere intellegi debebit 'nemo dictum tuebitur', cui sententiae apte accedunt submisso versu haec 'nisi sapientes illud munire voluerint vel adprobare'. Prioris autem versus sententiam, quae hoc modo exsistit, negativam Wolframus, ut adsolet, negativa interrogatione expressit. Itaque verbum *behalten* verbo quod est *tueri* [25])

---

23) I. Grimmius gramm. vol. 1², p. 787 negavit quidem masculini generis genetivum *es* extare, sed C. A. Hahnius: mhd. gramm. 1, 109 recte vidit genetivum illum in Nib. str. 665, v. 2. 1681, v. 2 inveniri; pari modo genetivus Parz. c. 287, v. 2 usurpatur. Cf. quae Lachmannus dixit ad Hartmanni Iwein. vv. 2105. 2215, ubi etiam Ereckii vv. 5820. 6231. 8949 eandem in rem memorantur.

24) *Die wîsen* sunt sapientes, qui de dictis actisque recte iudicare sciunt, quibusque solis vel laudandi vel vituperandi ius concedi potest; cf. Parz. c. 509, vv. 23 et 24 ich sol mîn lop behalten, daz es die wîsen walten.

25) Hoc saepe valet verbum *behalten*, sicut apud poetam Wengensem (MS. 2, 99ᵃ).

Dank habe der werde Klinger Dar gehuset hat
Truwe milte und da bi zuht Die wil er wol behalten
Das er si von dem lande niht vertriben lat
Des lasse in Got nach sinem willen wunneklichen alten
Si hasset leider maniger man
Vor den er si behalten wil Das ist in allen swere
Wie schone ers in gebieten kan
Er meht ir niemer bas gepflegen Ob er ein keiser were

recte reddidisse nobis videmur. Porro autem si quis *dicta* tueri non posse dicitur, nisi sapientes firmare ea velint, *dicta* illa haud dubie pro dictis eius accipienda sunt, qui tueri posse ea negatur.

Omnibus his explicatis illorum duorum versuum, qui supra adlati sunt, haud scio an recte enucleatus sit sensus; eoque minus dubito, quod haec versuum explicatio cum iis, quae prioribus versibus dicta sunt, apte convenit.

Pars tertia complectitur vv. **17—24.** *valsch lügelich ein* [26]) *mære* 'narratio falsa ac mendaciis inquinata' *daz* (sc. *mære*) *wæn ich baz noch* [27]) *wære âne wirt ûf eime* [28]) *snê* 'ea, opinor, multo melius esset hospitio carens in campo nivali'; Wolframus his verbis haud dubium videtur quin hoc dicere voluerit, melius esse, si sub divo atque inter nives mendax poeta mendacia sua narraret, ubi vel a nullo vel a paucis tantummodo audiretur, quam si in domo commode adstructa ac tempestatum vim ab incolis prohibente, ubi auditorum concio frequens eius dictis decipi posset, mendacia daret. *sô daz* (sc. *mære*) *dem munde wurde wê* 'si ista narratio, dum narratur, dolore adficeret id os', *derz ûz für wârheit breitet* 'quod eam pro vera enuntiat divulgatque':

---

26) De articulo indefinito inter adiectivum et substantivum posito cf. quae apud Grimmium gramm. vol. 4, p. 417 dicta sunt.

27) Eadem translocatio particulae *noch*, quae ad augendam vim conparationis adhiberi solet, etiam in Iwein. v. 7328 legitur: daz sî der jungeren doch daz dritte teil od minre noch ir erbeteiles wolde gebn.

28) Articuli indefiniti verbis substantivis materiam aliquam significantibus interdum antecedentis apud Grimmium gramm. vol. 4, p. 411 adlata sunt exempla, quibus addi possunt alia, ut Parz. c. 456, v. 15 erwarmt bî einem fiure. c. 668, v. 18 bî Artûs sunder ûf ein gras wart daz gezelt ûf geslagen.

sô het in (sc. *den munt*) *got bereitet* 'deus illud os ita adornasset i. e. ita poena adfecisset' *als guoter liute wünschen stêt* 'sicut probis hominibus in optatis est', *den ir triwe zarbeite ergêt* 'quibus probitas in miseriam cadit, miseriam creare solet'. Illi probi homines haud scio an haberi possint ii poetae, qui cum veritate fabulas sibi traditas tractare ac reddere solent neque eum applausum consequuntur, quo digni sunt.

Pars quarta continet reliquos prologi versus 25—30. *swem ist ze sölhen werken gâch* 'si quis canere properat talia' *dâ missewende hœret nâch* 'quae vituperationem merent', *pfliht werder lîp an den gewin* 'isque si probus est vir qui inplicatur hoc fructu (hac vituperatione)', *daz muoz in lêren kranker sin* 'exiguo ingenio eum ad id faciendum induci credendum erit. *er mîdetz ê, kan er sich schemn* 'omittit potius id, erubescere si didicerit': *den site sol er ze vogte nemn* 'hoc praeceptum ducem sibi accipiat'. Toti huic loco sensum subesse hunc arbitror. Si quis poeta tamquam praeceps datur ad opera conponenda talia, quorum argumenta digna sunt quae vituperentur, idemque ceteroquin probi animi fuerit, at socordiae certe crimen non fugiet, quoniam quam vitiosa in opera inlaberetur atque inplicaretur animum non adverterit. Vocabulo *werc* 'poetae opus' significari posse docetur loco Wigaloisii poematis, cuius a versu 135 haecce leguntur.

wan einez wil ich dingen:
daz ir durch iuwer hövischeit
dem tihtær des genâde seit
der ditze hât getihtet,
mit rîmen wol berihtet:
140. wan ditz ist sîn êrstez *werc*.

Verbo quod est *pflihten* (cuius forma brevior *pfliht* pro *pflihtet* posita est) praepositionem *an* cum accusativo (*an den gewin*) etiam alibi subiungi exemplis aliunde

adlatis luculentis stabilire non possum. Reperitur quidem in ipso Parzivale praeter nostrum locum c. 314, v. 30 *an* cum relativo *dar* coniunctum in huius verbi usu, itidem in Guilelmo cap. 6, v. 8 sic usurpatum est *hin ze wîbn sult ir die sinne rihten und an ir helfe pflihten*, at accusativum casum his locis exhiberi evidenter non liquet. Sed usitatum cum sit, illi verbo praepositionem *ze* adiungi, quae motum ad aliquem locum exprimit, per se consentaneum videtur, *an* praepositionem similiter huic significationi inservire posse.

Wolframus igitur, dum ex quattuor illis rationibus singulas, quas poetae epici in poematis conponendis pro suo quisque ingenio sequantur, ac primam quidem, quia auditorum applausum nihil curet, alteram, quia probatum iri eam non pro certo haberi possit, tertiam, quia non laude sed potius gravi supplicio digna sit, quartam, quia poetae socordiam declaret, perversas esse demonstrat, hoc generum recensu occulte excusari se vult auditoribus, quod Parzivalis res gestas, quas adhuc perpetuo celebraverit, aliquamdiu missurus iam posthabiturusque sit, earum loco Gawanum solum cantaturus. Videtur hoc modo cum auditoribus satisfacere tum veram causam, cur a proposito digrediatur, reticere apte se posse existimasse, si vera causa toto poematis ambitu sponte perspicienda relinqueretur, non diserte pronuntiaretur, efficacius fore ratus.

II.

Disputationis altera parte Parzivalis aliquot locos, quos enucleare studuimus, ex ordine iam adferre in animo est. Qua in re etiam locorum nonnullorum, in quibus convertendis Simrockius a poetae sententia paul-

lum aberraverit, ratio habebitur, vel propterea quod versio illa frequenter consuli solet. Qui loci non admodum quidem difficiles sunt intellectu, sed ita tamen obscuri, ut, cum Simrockiana interpretatio iam tertium prela reliquerit, in illis locis etiamnunc naevi deprehendantur et errores.

Latet enim aliquid erroris, ut ad rem statim adgrediar, Parzivalis cap. 368, v. 9—15, ubi haecce leguntur.

Lyppaut im dancte und fuor zehant.
ame hove er sîne tohter vant,
unt des burcgrâven tohterlîn:
diu zwei snalten vingerlîn.
dô sprach er Obilôte zuo
'tohter, wannen kumest duo?'
'vatr, ich var dâ nider her'.

Quos versus Simrockius ita convertit.

Der fürst ihm dankt' und gieng zuhand;
zu hof er seine tochter fand,
und des burggrafen töchterlein;
die beiden schnellten ringelein.
da sprach er Obiloten zu:
'von wannen, tochter, kommst du?' —
'zur stadt, vater, will ich'.

Quam interpretationem hac adnotatione idem (pag. 811) ita inlustravit. 'Lippauts frage, wannen kommst du? ist allerdings auffallend; doch mochte sich Obilot wohl zum ausgehen geschmückt haben, und der vater, der sie mit Klauditten spielen sah, zunächst an den andern fall denken, dass sie von dem ausgange schon zurück sei'. At vero non est, quod patris interrogationem illam admireris, si res, quas Wolframus prius narravit, in memoriam revocaveris versusque, quos supra descripsi, simpliciter ad verbum converteris. Nam versui quinto decimo a Simrockio sententiam suppositam

esse, quae illi non insit, manifestum est. Filiae enim responso consilium non exprimitur loci petendi, qui infra eum locum situs sit, ubi a patre invenitur, sed iter ex parte factum iam esse significatur, ac de superiore ipsam descendisse loco lusumque nondum perfecta omni via, cum pater advenerit, agere. Itaque filia non in arce paterna, sed Scherulis burggravii in oppido arci subiacente habitantis prope domum, quam ipsa petebat (c. 368, v. 17), reperitur. Cui explicationi noni versus sensus minime repugnat. Lyppautus enim, sicut Wolframus narraverat, dum Scherulis intrat domum, in quam Gawanus ad imum arcis murum requiescens invitatus erat (c. 361, v. 2—19. 363, v. 30), Gawanum repererat (c. 364, v. 25), quem precibus ut secum contra hostes coniungeret instigabat (c. 366, v. 7 sqq.), donec de hac re deliberaturum se esse ille promitteret (c. 368, v. 6—8); quod cum inpetrasset, Lyppautus a Gawano, sicut versu nono dicitur, gratiis actis statim discessit. Egressus autem e Scherulis domo iam filiam cum Scherulis filiola annulis [29]) ludentem ibi in aula reperit. Voces igitur *ame hove* non (quod Simrockius putavisse videtur, cum illas redderet per *zu hof)* ad Lyppauti aulam, quae erat in arce, sed ad domum Scherulis potius in oppido arci subiacente sitam referendae sunt [30]). Quae ita esse si concesseris, in illis versibus, ni fallor, nihil reliquum erit, quo possis offendi.

---

29) Cf. Schmelleri: bayer. wörterb. 3, 490.

30) Erat praepositio *an* convertenda per *auf*, id quod haud dubie fecisset Simrockius, si recordatus esset Nibelungiadis str. 684, v. 2. 1740, v. 3 verba *an dem hove stân* ab ipso per *auf cet.* conversa esse.

Ad alium Parzivalis locum transeamus. In enumeratione remediorum, quae a gradalis custodibus ad Anfortasi regis vulnus sanandum quaesita sed frustra adhibita esse Trevrizentes colloquio cum Parzivale instituto dicit, etiam haec enuntiantur. C. 481, vv. 19—26.

wir gewunnen Gêôn
ze helfe unde Fîsôn,
Eufrâtes unde Tigrîs,
diu vier wazzer ûzem pardîs,
sô nâhn hin zuo ir süezer smac
dennoch niht sîn verrochen mac,
ob kein wurz dinne quæme,
diu unser trûren næme.

Quibus versibus, quorum et obscuritatem dispellere grammaticam et sensum quantum fieri possit postea enucleare conabimur, haec fere dici videntur. 'Conparabamus nobis, ut rex sanaretur, aquam de quattuor illis fluviis, qui ex paradiso profluunt Geon, Phison, Euphrates, Tigris, haustam ac tam prope quidem a paradiso haustam ut ibi fluviorum illorum odorem suavem tum nondum exhalatum fuisse veri simile esset, si qua herba aquarum undis forsitan deferretur, quae luctus nostros tolleret regem sanans'. Ex his versibus inprimis vv. 23 et 24 obscuritate magna laborare patet. Primum enim versus 23 verba *sô nâhn hin zuo*, ut quibus motus ad locum aliquem exprimatur, cum dictis subsequentibus, quibus res loco acta sine motu narretur, parum convenire videntur. Itaque mea sententia satius foret, si pro verbis *sô nâhn hin zuo* legerentur verba *sô nâhen bî* (sc. *dem paradîse*); at multum abest, ut haec lectio potestati quae insit verbo *gewinnen* (= acquirere, petitum mittere) respondere possit. Quae cum ita sint, poetam nostrum illis vocabulis non tantum prope ad paradisum pervenisse legatos, verum hausisse quoque legatos

proxime a paradiso versantes aquam ibi, ubi aquarum vis medendi minuta esse nondum potuisset, intellegi voluisse existimaverim. Obscuritate non minore laborat deinde etiam versus alterius vox *dennoch*, quae quoniam tempus significat praeteritum, non locum, liquere non videtur, ad quamnam rem haec temporis definitio (*damals noch*) referenda sit. Quid enim? Num dicit Trevrizentes hoc vocabulo, illo quidem tempore, quo aqua illa petita esset, paradisi fluvios fuisse medicatos, tempore autem eo, quo Parzivali de illis rebus narret, omnino amissam fuisse harum aquarum salubritatem? Nego. Inutilis enim hoc loco ne dicam inepta fuisset haec commemoratio sic temere interposita, quae non haberet, quo referretur. Itaque a vero aberrare non arbitror, si vocabulo *dennoch* denotari puto tempus id ipsum quo hauriebatur aqua, quoque propter loci a paradiso propinquitatem temporisque, quo flumen manabat, brevitatem nondum amissa vis medica esse poterat. Offensioni praeterea fuisse videntur verba quibus versus clauditur *sîn verrochen mac*, quae quidem Ziemannum in hanc induxerunt opinionem ut, quamquam dubitans, an recte faceret, in lexico suo adferret verbum, cuius infinitivum esse vellet *verrochen*. Sed vocabulum illud *verrochen* praeteriti esse participium verbi quod est *verriuche, verrouch, verruchen, verrochen* ex Grimmii gramm. vol. 1², p. 937 satis adparet; quod etiam apud Herbortum Fritslarium poematis, quod dicitur *liet von Troye*, versu 8133 occurrit *Do daz was vurrochē*. Ziemannus, opinor, hoc loco a veritate deflectebat nulla re, nisi verborum *sîn verrochen mac* collocatione inductus, quae sane quidem ab usitata ratione plane abhorret, sicut ex Grimm. gramm. vol. 4, p. 171 sqq. intellegi potest. Itaque ordine mutato si legerentur verba ita *mac verrochen sîn*, nihil esset, quo quispiam posset offendi. Causam autem, cur inusitatam poeta verborum

collocationem illo loco ursurpaverit, nullam fuisse existimo aliam, quam syllabarum *smac* : *mac* sonum consonantem, qui tam gratus illi acceptusque fuisse videtur ut licentia poetica usus verba paullum confusa sibi concederet. Loci nostri verbis singulis hoc modo explicatis ad totius loci sensum paullo absconditum propius iam accedamus declarandum.

De quattuor paradisi fluminibus [31]), quorum nomina extant libri Genesis cap. II, vv. 10—14, unde in Theotisca saeculi XI et XII poemata a Iosepho Diemero huius saec. a. XLVIIII edita (pag. 6, v. 2 sqq. et 321, v. 16 sqq.) transiere, accuratissime disputavit E. F. C. Rosenmüllerus libri (handbuch der biblischen alterthumskunde. Leipzig 1823 ff.) vol. 1, part. 1, pag. 182 sqq. Qua in disputatione non solum duo, quae ignota sunt flumina Geon et Phison, certa quaedam ac vera quae extent flumina fuisse vult, sed etiam quae docti homines inde ab antiquissimis temporibus de illorum fluviorum situ cursuque senserint et suspicati sint adfert quattuorque fluviorum nominibus etymologice inlustratis Tigris Euphratisque naturam fusius describit. Itaque si quis geographicas res loco nostro memoratas edoceri voluerit, librum illum praeclare scriptum evolvat, nobis autem, cum non de fluviorum illorum situ sed potius de fabulis, quae ad salubritatem referri possint illorum fluviorum, quaerere velimus, aliunde, si fieri possit, huius rei subsidia petenda erunt.

In Lamberti clerici poemate quod ad Alexandri Magni res gestas celebrandas extat retractato, quod litteris mandatum est anno MCLXXXVII [32]), Euphrates

---

31) Cf. C. de Spruneri atlantis antiqui (Gothae MDCCCLV) tab. XVIII. (tabula populorum secundum Mosem I, 10.)

32) Cf. Wackernagelii Theotiscarum litterarum historiae pag. 171.

flumen tempore eo, quo Alexander adverso illo flumine ad paradisum expugnandum navigaret, undis poma, frondes, flores detulisse narratur, id quod legitur in huius poematis editione ab H. Weismanno facta Francofurti MDCCCL, vol. 1.

v. 6463. sîn hôhmût in dar zû trûc,
daz er sih hîz wîsen
gegen dem Paradîse,
daz wolder bedwingen
unde zins ouch dannen bringen
von den engelischen chôren.

— — — — — — —

6577. dar nâh in curzen stunden
quâmen si an eine flûme
grôz unde gerûme,
di was Eufrâtes genant.
di lûte, di er dâr vant
beide cleine unde grôz,
di sagetin ime, daz iz flôz
ûz dem Paradîse.

— — — — — —

6611. dô sâhen si fliezen
dar în obiz unde loub,
daz vil sûzlîchen rouch.
daz loub was breit unde lanc;
di dâ woneten in daz lant,
dachten ir hûs dâ mite.
des was dâre lantsite.
des obizzis si wol genozzen.
ouh quam dâ mite geflozzin
manic scône blûme
gele unde grûne.
der viengen di hêrren vile
unde hête si zô einem spile.

Salubria fuisse poma, frondes ac flores, quae Euphrate traherentur, ex hoc loco nondum intellegitur, in paradiso fontem esse, unde illae fruges atque herbae manarent, adparet. Similitudinem tamen quandam eorum, quae in Alexandro poemate narrantur, cum loco Parzivalis nostro esse, minime infitiandum est. Utroque enim loco de itinere ad paradisum agitur herbaeque memorantur, quae aquis ex paradiso oriundis deferri dicuntur. At cum ex Alexandri poematis loco adlato id tantum concludi liceat, paradisum locum fecundum et amoenissimum, qualis etiam a patribus ecclesiae omnino describitur. (cf. poematis Tertulliano adscripti, quod inscriptum est *Iudicium domini*, cap. VIII), habitum fuisse, Parzivalis autem locus ad salubritatem spectet herbarum ex paradiso venientium, longius nobis circumspiciendum erit, num forte alio loco huiusmodi fabula extet litterisque sit mandata.

Novimus Mose auctore (libr. Genesis cap. II, v. 9), summum deum in medio paradiso sevisse arborem, quae dicitur *vitae arbor*; ad cuius aditum Adamo Evaque de paradiso eiectis angelus flammeo gladio instructus narratur (cap. III, v. 24) positus fuisse custodiendi causa, ne homines praeter scientiam boni et mali insuper consequerentur immortalitatem. Hanc vero ad fabulam de vitae arbore notissimam haud scio an non inepte faciamus, si fidem ac fiduciam a gradalis legatis in herbarum ex paradiso ortarum salubritate positam aliquatenus referendam esse existimaverimus. Et haec mea opinio egregie probari videtur narratione ea, quae circa hanc rem apud Nicodemum in evangelio apocrypho, quod in Iesu Christi cruciatibus, descensu ad inferos, reditu ad vitam narrandis versatur quodque extremo saeculo XII etiam Theotisco sermone refictum est [33]), cap.

33) Cf. Wackernagelii Theotiscarum litterarum histor. p. 159 et 160.

XIX invenitur. Leguntur enim codicis apocryphi Novi Testamenti a Thilone Lips. MDCCCXXXII editi vol. I, pag. 684 sqq. haecce. *Τοῦ Ἰωάννου τοίνυν διδάσκοντος οὕτως τοὺς ἐν τῷ ᾅδῃ· ἀκούσας καὶ ὁ πρωτόπλαστος καὶ προπάτωρ Ἀδὰμ λέγει πρὸς Σὴθ, τὸν υἱὸν αὐτοῦ· Υἱέ μου, θέλω ἵνα εἴπῃς τοῖς προπάτορσι τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων καὶ τοῖς προφήταις, ὅτε ἔπεσον τοῦ ἀποθνήσκειν με, ποῦ σε ἀπέστειλα. Ὁ δὲ Σὴθ ἔφη· Προφῆται καὶ πατριάρχαι, ἀκούσατε. Ὁ ἐμὸς πατὴρ Ἀδὰμ ὁ πρωτόπλαστος, πεσὼν ποτε εἰς τὸ τελευτᾷν, ἀπέστειλέ με ποιήσασθαι δέησιν πρὸς τὸν θεὸν ἔγγιστα τῆς πύλης τοῦ παραδείσου, ὡς ἂν ὁδηγήσῃ με δι' ἀγγέλου (πρὸς) τὸ δένδρον τῆς ἐλεημοσύνης, [τουτέστι τὸ ἔλεος τοῦ ἐλαίου,] καὶ ἐπάρω ἔλαιον, καὶ ἀλείψω τὸν ἐμὸν πατέρα, καὶ ἀναστῇ ἀπὸ τῆς ἀσθενείας. Ὅπερ δὲ καὶ ἐποίησα. Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ἐλθὼν ὁ ἄγγελος κυρίου λέγει μοι· Τί, Σὴθ, αἰτεῖς; ἔλαιον αἰτεῖς τὸ τοὺς ἀσθενεῖς ἀνιστῶν, ἢ τὸ δένδρον τὸ ὡραῖον* (scr. *τὸ ῥέον*) *τὸ τοιοῦτον ἔλαιον, διὰ τὴν τοῦ σοῦ πατρὸς ἀσθένειαν; Τοῦτο οὐκ ἔστιν εὑρεθῆναι νυνί. Ἄπιθι καὶ εἰπὲ τῷ πατρί σου, ὅτι μετὰ τὸ συντελεσθῆναι ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἔτη πεντακισχίλια πεντακόσια, τότε κατέλθῃ ἐν τῇ γῇ ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐνανθρωπήσας· κἀκεῖνος ἀλείψει αὐτὸν τῷ τοιούτῳ ἐλαίῳ, καὶ ἀναστήσεται· καὶ ἐν ὕδατι καὶ πνεύματι ἁγίῳ πλυνεῖ καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ, καὶ τότε ἀπὸ πάσης νόσου ἰαθήσεται· νῦν δὲ τοῦτο γενέσθαι ἀδύνατον. Ταῦτα ἀκούσαντες οἱ πατριάρχαι καὶ οἱ προφῆται ἐχαίροντο μεγάλως.* Verba *πρὸς Σὴθ, τὸν υἱὸν αὐτοῦ* Thilo vir celeb. hac adnotatione inlustravit (cf. codicis cet. p. 686). 'Aliud est commentum a Fabricio [34]) non notatum, quod etiam arctius cum nostri auctoris fabula cohaeret. Sethum a patre Adamo ad

---

34) Cf. Thilonis prolegg. p. V.

portam paradisi missum, ramum arboris vitae ab angelis custodibus impetrasse terraeque eum defixisse, ex quo tanta tandem arbor excreverit, ut *virga Mosis* [35], *virga Aaronis* [36], *lignum quo dulcoratae sint aquae Mara* [37], *pertica cui serpens aeneus fuerit impositus* [38], et denique ipsa *crux* [39]) *Christi* fabricari inde potuerint. Vid. Saldeni diss. *de horto Hedenis* in eiusd. Otiis theol. p. 600. Hanc vero fabulam etiam vulgi ore celebratam fuisse testatur notissimum illud carmen satiricum sec. XV., Rynke de Vos inscriptum. Nam sicut id a Goethio nobis renovatum est, cantu X. v. 21—23. ibi haec leguntur: *Die drey gegrabenen Namen Brachte Seth der Fromme vom Paradiese hernieder, Als er das Oel der Barmherzigkeit suchte*'.

His narrationibus ea, quae Trevrizentem loco nostro Wolframus fecit dicentem, simillima esse his lectis nemo negabit. Illis enim fabulis sicut Parzivalis loco occurrit homo gravissime aegrotans, occurrit iter ad paradisum susceptum, occurrunt denique medicamenta in paradiso succrescentia, quibus conparatis adhibitisque qui aegrotabat curari posse putabatur.

His omnibus disputatis, ne qua forte suspicio in me moveatur, quasi credibile putaverim, Wolframo seu potius ei, quem secutus sit, Gallico auctori vel Nicodemi evangelium vel alterum illud a Thilone additum commentum notum fuisse ex hisque fontibus narrationem illorum auctorum desumptam esse, sententia, quam sequor,

---

35) Cf. lib. exodi cap. XVII, 5.

36) Cf. lib. numerorum cap. XVII, 8.

37) Cf. lib. exodi cap. XV, 23—25.

38) Cf. lib. numerorum cap. XXI, 8 et 9.

39) Cf. Fr. Pfeifferi: deutsche mystiker des 14. jhs. Leipzig 1845 ff. Bd. 1, 127 ff.

haec est, omnibus his fabulis originem esse communem, nimirum vulgi opinionem vetustissimam singulis saeculis obtinentem, ideoque fabulas de vitae arbore adhibitas sane quam idoneas esse, quibus lucis aliquid huic loco adfundatur.

Antequam vero ad alia nos convertamus, in transitu quasi tractemus alium locum, non quod difficilis sit intellectu, sed quod poetae nostri sales brevitatemque dicendi ostendat. Postquam enim maiore libri noni parte descriptum est, quomodo Parzival die memoriae Iesu crucifixi consecrato ad Trevrizentem avunculum in solitudine viventem pervenerit atque ab eodem de gradali gradalisque custodibus, praecipue de morbo desperato, quo Anfortasius rex laborabat, accurate factus sit certior, memorantur etiam ea, quae illo die epulis institutis a duobus viris comesa sint, cui cenae, quippe quae esset omnium simplicissima, poeta leviter illusit, ita exorsus cap. 487, v. 1 sqq.

Swaz dâ was spîse für getragen,
beliben si dâ nâch ungetwagen,
daz enschadet in an den ougen niht,
als man fischegen handen giht.

Quibus versibus haec fere dicuntur. 'Si cibo sumpto, quo mensa exstructa erat, manus lavare omittebant, id quidem oculis illorum damno minime erat, quale damnum videlicet manibus iure pisculento pollutis inhaerere dicitur'. Cibus enim, cuius primo versu fit mentio, constabat ex radicibus herbisque, quas hic illic effossas aqua purgaverant crudasque sumebant (cf. cap. 485, v. 19 sqq.). Itaque cenati manus inter hanc cenam minime delibutas — manibus enim, furcillis nondum

in usum receptis, uti solebant cenaturi lotis [40]) — post cenam nequaquam opus fuisse lavarent, deridens dicit; etiamsi igitur inlotis suis manibus post cenam oculos, fricando fortasse, tetigissent, oculi tamen nullis profecto manuum sordibus potuissent laedi. Victu illo tenuissimo hoc modo facete illuso, quarto versu deinde piscium mentio inicitur, quae primo adspectu cum iis, quae tribus versibus prioribus dicta sunt, cohaerere vix videtur. Quid enim voluit poeta, cum manus pisce unctas vulgo haberi oculis noxias addebat? Vel qua de causa maxime pisces memorat? Haud dubie, quia piscium obsonium radicibus illis herbisque voluit opponere. Qua oppositione facta neque illud obscurum videtur, pisces proprie festo illo die iis edendos fuisse submonere eum voluisse; aliis enim carnibus, quae ad quamlibet cenam sollemnem requiri solent, vesci illo die non licebat, qui dies vel propterea quia feria sexta erat, a carnibus, excepto piscium obsonio, iniungebat iis abstinentiam.

Poetae sententiam postquam hoc modo explicare studuimus, de opinione quoque ea, quae de piscium noxia illa extabat, pauca dicamus quaerentes, unde factum sit, ut manus pisce pollutae oculis noxiae esse putarentur. Pisci mero ac nondum cocto nocivam illam naturam tribui potuisse veri simile non videtur. E contrario enim iam in LL. SS. narratum reperitur, piscium partem aliquam, fel videlicet, salubrem potius oculis esse aegris. Locus est in Tobiae lib. cap. VI, v. 7 sqq. *Interrogavit Tobias Angelum et dixit ei: Obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quae de pisce servare iussisti? Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis — —; et fel valet ad ungen-*

40) Cf. quae Dietrichus in Hauptianis ephemeridibus (tom. 3. p. 389) de manuum ante cenam lavatione disputavit.

dos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. Cf. eiusdem libri cap. XI, v. 13—15. Itaque meri piscis suco cum non quicquam quo offendi oculi possint, sed quo sanentur potius inesse antiquitus creditum fuisse videatur, consentaneum est, adparatum demum et coctum, qualem solum haud dubie poeta noster l. l. significavit piscem, noxium vulgo habitum esse. Quod si ita est, nocivam vim in condimentis, quibus pisces quo iucundius saperent coqui ac parari solebant, sitam fuisse credendum erit. Cum autem ex condimentis, quorum usus in media aetate omnino erat inmoderatissimus [41]), praecipue adhibeatur sal, cuius non parva copia ad piscem parandum hodieque opus est, manifestum est, oculos non pisce integro, sed potius eius salsura laesos esse, si qui sale tacti ac morsi adurerentur; quae adustio haud dubie etiam augeri poterat eo, quod salsura ex piscibus glutinosa facta salis acerbitatem in oculis continebat magis diutiusque servabat.

Ex his omnibus vel sponte perspicietur, cur maioribus nostris, qui nudis manibus cibos capessebant, inprimis post pisces esos visum sit utile, ut manus lavarent.

Gawanus leone in arce mirabili (Schastel marveil) victo detruncatoque intermortuus postquam cecidit, a duabus virginibus ex inbecillitate suscitatur, quo in negotio altera virgo aquam ab altera adlatam in Gawani os infundere studet. Cum autem hanc in rem Gawani ordines dentium aperiendi essent, ut aqua in gulam delabi posset, apud Wolframum cap. 576, v. 13 sqq. haec leguntur.

---

41) Cf. Wackernagelii dicta in Haupt. ephem. tom. 6, pag. 268 v. ab infimo 5.

diu maget schoub ir vingerlîn
zwischen die zene sîn:
mit grôzen fuogen daz geschach.
dô gôz si daz wazzer nâch,
sanfte, und aber mêre.

Primi versus vocabulum *vingerlîn* tam Schulzius quam Simrockius in sua quisque versione reddidit vocabulis quae sunt *ring*, *ringelein*; qua interpretatione arbitror minime id, quod dicere poeta voluerit, expressum esse. Nullum enim instrumentum ad intermortui cuiuspiam maxillas disiungendas minus aptum esse, quam annulum, per se patet. Etenim annulus, materiae tantum non expers, forma rotunda, non acuminata, manubrio carens, ad rem illam exsequendam parum accommodatus est. Itaque, etiamsi vocabulum *vingerlîn* 'annulum' tantum significare videtur, praeter quam significationem nec Beneckius (mhd. wörterb. 3, 322a) nec Ziemannus aliam attulerunt ullam, persuasum tamen mihi est, hoc loco vocabulum *vingerlîn* non vocabulo quod est *ring* convertendum esse, sed aliter.

Etiam Iacobus Grimmius (gramm. vol. 2, 132) docuit, ex vocabulo *vink-iri* (cf. Graff. ahd. sprachsch. 3, 529) vocabulum *fing-ir-în*, quod sicut δακτύλιος pro adiectivo *(digitalis)* haberi possit, derivatum idemque deinde substantivum *vingerlîn*, sed non apte, factum esse, quo substantivo re vera *digitulum* tantum, non *annulum* denotari posse. Grimmium recte dicere hoc Parzivalis loco potest conprobari, quippe quo vocabulum *vingerlîn* vocabulis *fingerlein*, *kleiner finger* interpretandum esse certissimum videatur. Nullum enim instrumentum tam accommodate quam digitus per dentes in os penetrare poterit. Etenim unguis, praetenuis sed firmus atque acutus, facile ac leniter per dentes sese insinuabit, digitusque adeo, qui in palmam versus crassior est, unguem magis urgebit, ut rimam iam factam

magis magisque laxet; praeterea aliud instrumentum nullum tam apte quam digitum ad illam rem caute gerendam moderari poteris.

Postquam autem vidimus convenientius multo ac simplicius esse, si existimamus, virginem non annulo Gawani os patefacientem fingi sed digitulo, qua explicatione versus quinti decimi sensus, ni fallor, magis exaggeratur, contra tamen dicere quispiam possit, vocabulum *vingerlîn* propterea quod *annulum* tantum significare soleat etiam hoc loco id significare debere. At vero locus extat, ubi illud vocabulum planissime *digitum* denotat, qui locus invenitur in Heinzelini poetae Constantiensis poemate, quod dicitur *der gott Amur oder der Minne lehre* (ausgabe von Franz Pfeiffer. Leipzig 1852), ubi a versu 659 haecce leguntur.

ir brüstel klein unde vîn,
ir arme blanc, ir vingerlîn
sleht lanc und sinewel.
als eins härmelînes vel
wârn ir hende wîze
geschaffen wol nâch flîze.
dô was si umbe ir gürtel smal
und vollekomen über al.

Non solum ex epithetis, quae versu 661 addita sunt, vocabulo *vingerlîn* potestatem *digiti* inesse satis elucet, sed etiam ex versibus cum antecedentibus tum subsequentibus, qui usque ad versum 666 omnes in Veneris *(Minne)* corpore describendo versantur. Versu demum 667 descriptio insuper incipit earum rerum, quibus Venus sese ornaverit, inter quae ornamenta primum annulus pretiosus memoratur.

667. dô fuort si an ir hende
sunder missewende
ein rôt guldîn vingerlîn.

Heinzelinum igitur *vingerlîn* vocabulum aeque pro *digito* atque pro *annulo* usurpare videmus, ex quo luce clarius est, vocabulum illud non tantum ad *annulum* referendum esse. Qua re sententia nostra de vera significatione vocabuli *vingerlîn* loco laudato a Wolframo usurpati, postquam causae in re ipsa sitae adlatae sunt, testimonio quoque luculentissimo confirmatur.

De aliis locis Parzivalis, deo favente, alio et tempore et loco, sed patrio sermone quippe his rebus accommodatiore agere propositum est.
